













HIPPOCRATIS COI PRAESAGIORVM LIBRI TRES,

*

GVLIELMO COPO BAsiliensi interprete.

*

IN VIRTVTE



ET FORTVNA.

LVGDVNI,

Apud Gulielmum Rouillium sub scuto Veneto.

1552.



HIPPOCRATIS COI PRAESAGIORVM LIBRI III.

*

GVLIELMO COPO BASILIENSI INTERPRETE.


IHIL perinde medico conducibile censeo, quàm vt prudentem se præstare laboret. 1

SI enim apud ægros, præterita, præsentia, & futura, atque ea, quæ ipsi inter narrandum omiserunt, nouerit, prædixerítque, nihil, quod ægris vsui fuerit, ignorare putabitur. Quo fit vt audẽtius homines medico sese committant. 2
3

ETenim perquam salutarem adhibebit curationẽ † si futuras affectiones præuiderit. Nam fieri nõ potest, vt omnes ægros sanitati restituat, quãquam hoc multò præstantius erat, quàm futura prænoscere. 4

* ἐκ τῶν παρεόντων. *id est ex præsentibus.*

IGitur quum homines intereant, alij quidem ob morbi vehementiã, antea quàm vocetur medicus: nonnulli verò vocato licet medico, repentè moriuntur, ac alij vnico duntaxat die, alij paulò longiori spatio vitam extendunt, priùs quàm medicus arte 5

6 sua singulis morbis occurrẽdo resistat. Proinde harum affectionum naturas noscere oportet, quantũ videlicet corporis viribus
7 sint superiores. Quinetiam si diuinũ quidpiam morbis inest, huius quoq; prouidẽtiã perdiscere, sic enim optimo iure, & admirabilem, & bonũ se prȩstabit medicũ: quos enim superstites fore cognouerit, eos rectius quoq; seruabit, vtpote ex multo tẽpore singula consultè perpendens. Itaque morituros, victurósque præsentiens, atque denuntians, omnem prorsus calumniam vitabit.

NOTAE EX FACIE.

8 IN acutis morbis sic cõsiderare oportet, in primis quidẽ ægri faciẽ, an sanorũ faciebus, maximè verò suæ ipsius, similis sit: ea enim optima censenda est, quæ verò maximo discrimine ab hac similitudine recedit, grauissimum periculum portendit, cuius hæ sunt notæ.

9 Nares acutæ, oculi concaui, collapsa tempora, frigidæ contractæque aures, & imis
10 partibus leniter versæ. Cutis circa frontem dura, intẽta & arida: totius faciei color aut niger, aut pallidus, aut liuẽs, aut plumbeus.

11 QVòd si inter morbi initia huiusmodi facies appareat, neq; ex aliis indiciis cõiectura sumi possit, inquirendũ est, an vigilia, aut ventris vehemens resolutio, aut inedia præcesserit: quorũ si quidpiã depre-

henderis, nihil periculi timendũ est. atqui si ob huiusmodi causas, hæc faciei species orta est, vna die, noctéque * finitur, si verò eas præcessisse æger negauerit, diutiúsque iam dicto tempore hęc forma durauerit, scire licet eum morti proximum esse.

* κρίνεται, id est, iudicatur.

12 QVòd si in vetere morbo iam triduo, quatriduóve talis est, inquirẽda sunt ea signa, quæ supra proposui, ad hæc, reliqua quoq; indicia, non solũ ex facie, verũ etiam ex reliquis corporis partibus perpendenda sunt, præcipuè ex oculis.

NOTAE AB OCVLIS.

13 NAm si lumen refugiũt, & illachrymãt, idq; præter voluntatẽ, aut peruertuntur, altérque ex iis minor est, & quæ in ipsis alba esse debẽt, rubescũt, aut genæ pallent, atq; in iisdẽ venulę nigricant, aut lippitudo innatãs tandẽ angulis inhæret, aut frequẽs est oculorũ motus, iiq; aut vehementer subsederũt, aut facti tumidiores sunt, fuerítq; aspectus horridus obscurúsq;, atque vniuersæ faciei color mutatus: hæc omnia signa, mala, perniciosáque putanda sunt.

14 QVinetiã oculorũ per somnũ suspectiones obseruãdæ sunt Vbi enim palpebræ non cõmittuntur, sed inter has ex albo oculorũ aliquid apparet, neq; id fluẽs aluus, aut medicamẽti potio præcessit, præsertim

ſi quis non ſic dormire conſueuerit, prauũ hoc ſignum, lethaléq; admodum eſt.

15 SI palpebra, aut labrum, aut naſus retorquetur, aut pallet, aut liuore inficitur, accedente quopiam reliquorum ſignorum, ægrũ morti proximũ eſſe haud dubitãdum eſt. Mortem etiam portendunt labra reſoluta, ſuſpenſa, frigida, candicantia.

A DECVBITV NOTAE.

16 DEpræhendendus eſt æger in dextrum ſiniſtrúmve latus cubans, brachiis, ceruice & cruribus paulum reductis, ac vniuerſo corpore molliter affecto, qui ferè ſani quoque iacentis habitus eſt. quippe quum optimus ſit ille decubitus, qui à ſanorum conſuetudine non variat.

17 SEd * non laudatur decubitus, quo brachia, ceruix, & crura extenduntur.

† Alij ſupinum autem ia-

ID verò grauius eſt, ſi ſeipſum æger contineri nõ valẽs, ad pedes ſubinde delabitur

18. cere

VBi pedes nudat, neque iis calor ſubeſt, vbi brachia, ceruicem, & crura inæquabiliter diſpergit ac nudat, mali morbi, angoriſque ſignum eſt.

manus, collum, &c. 19.

20 PErniciosum eſt, vbi hians quis aſsiduè
21 dormit. Aut vbi ſupinus iacet, cruribus vehementer contortis, complicatiſque.

22 SI pronus iaceat is, qui per bonam valetudinem ſic dormire nõ conſueuit: aut delirium

lirium, aut ventris dolorem portendit.

VBi residere vult æger in ipso morbi 23
vigore, malum quidem indicium est in omnibus acutis affectibus, sed longè pessimum pulmonibus laborantibus.

A STRIDORE DENTIVM.

STridor dentium per febres, præter con- 24
suetudinem à teneris contractam, insaniam significat & mortẽ: atqui ab vtrisque futurum periculum denuntiandum est. Si verò iam delirãti stridor quoq; accedit, vix aliam æquè perniciosam inuenies notam.

AB VLCERE.

VLcus, siue ante, siue in ipso morbo na- 25
tum est, obseruari debet: nam si moriturus est homo, aridum, & liuens, aut pallidum, * ante mortem apparet. *Et siccũ.

A GESTICVLATIONE MANVVM.

EX manuum latione huiuscemodi no- 26
tas perpende, in acutis febribus, in peripneumonia, phrenetide, capitis dolore, si quis eas faciei admouerit, vt inde quidpiã superuacuè venetur, aut festucas carpat, aut à veste floccos, aut à pariete paleas auellat: omnes hæ malæ lethalésq; sunt.

A SPIRATIONE.

SPiritus frequens, aut doloris, aut inflam 27
mationis in partibus septo transuerso

ſuperioribus, indicium eſt. Magnus,& ex longis interuallis,delirium declarat. Frigidus ex naribus & ore prodiens,lethalis admodum eſt.

28 FAcilis ſpiratio,in acutis morbis,quibus febris copulatur quiq; intra quadraginta dies * finiri ſolent, magnum habet ad ſalutem momentum.

** Iudicari.*

A SVDORE.

29 SVdores,ſaluberrimi cenſentur,in omnibus acutis morbis, ſi in diebus decretoriis oriantur, febrimq́ue finiant,aut vbi toto corpore æqualiter inſudante, æger morbum facilius ſuſtinere videtur. Contrà inutiles,qui id efficere non valent. Peſsimi omnium ſunt frigidi, & vbi caput duntaxat aut facies, aut ceruix inſudat:quippe qui in acuta quidem febre,mortẽ: in mitiore verò, morbum diuturnum fore ſignificant.

30. *Additũ ex græco codice.* * Et qui per totũ corpus eodem modo fiunt qui circa caput, qui autem milij inſtar & circa collum duntaxat fiunt,mali. qui verò guttatim & exhalando,boni. Conſiderare autem oportet ſudorem in vniuerſum. Alij enim propter corporum exolutionem, alij propter inflammationis vehementiã fiunt.

A PRAECORDIIS.

31 ATque inter optima indicia ſunt præcordia,vbi ſine vllo ſenſu doloris in vtraque

traque parte æqualiter mollia ſunt. Inflammata verò, dolentia, & intenta, & vbi aliter in dextera, aliter in ſiniſtra parte afficiuntur, ſuſpecta haberi debent.

PRæcordiorum venæ, ſi pulſent, aut tur- 32
bationem, aut delirium portēdunt: ſed eorum qui ſic affecti ſunt, oculos aſpicere oportet: quippe frequens illorum motus, inſaniam comminatur.

A TVMORIBVS.

PRæcordia tumida, dura, dolentia, ſi in 33
vniuerſum ſic affecta ſunt, maximum malum portendunt: ſi verò altera parte duntaxat, ex ſiniſtra minus periculum eſt.

CAeterum huiuſmodi tumores, in prin- 34
cipio quidem proximam mortem denuntiant: Vbi verò viginti dies exceſſerint, 35
neque quieſcente febre, neque tumore remiſſo ad ſuppurationem conuertuntur.

Atque inter primos circuitus, ſanguis è 36
naribus fluens, non mediocri ipſis præſidio eſt, ſed tum ſanguinis eruptio expectari debet, quum interrogati, aut caput dolere, aut oculos caligare fatentur. Id verò 37
iunioribus, videlicet circa quintum & trigeſimum annum, plerunque euenire ſolet.

MOllis tumor dolorem non inferens, 38
& digitis cedens, longiori tempore finitur, ſed non ita graue ab eo periculum

39 pendet. Quòd si intra sexaginta dies, neque febris desinit, neque tumor residit, suppurationem expectare oportet. Idem haud secus in reliquis quoq; ventris partibus perpenditur.

40 ITaque durus, magnúsque tumor, dolore crucians, mortis periculum, non multo post fore denuntiat. Mollis verò & sine dolore, quique prementi digito cedit, longus esse solet.

41 VEntris tumores, non tam crebrò, vt hi qui in præcordiis oriuntur, abscessum efficiunt, quòd si sub vmbilico constituantur, nequaquam ad suppurationem cõ-
42 uertentur. Sed ex superioribus maximè sedibus, sanguinis fluorem expectare oportet. In quibus omnis humor diuturnus, ad suppurationem ferè spectat.

A SVPPVRATIONE.

43 ITaque suppurationum obseruatio sic accipienda est. earum enim quæ in exteriorem partem erumpũt, optimæ sunt, paruæ admodum eminentes, atque in acutum fastigiatæ: pessimæ verò sunt, quæ maximæ, quæque planissimæ sunt.

4 SEd illarum quæ intus excitãtur, optimæ censentur, quæ exteriorem cutem non decolorant sed contrahuntur, nullóque dolore cruciant, atque vbi exterioris cutis color

lor

lor manet vniformis.

PVs illud optimum eſt, quod album & 45
lene eſt, & haudquaquam fœtet, quod
verò ab hoc variat, peſsimum eſt.

HIPPOCRATIS COI PRAESAGIORVM LIBER SECVNDVS.

*

DE AQVA INTER CVTEM.



AQVA inter cutem ſi ex acu- 1
to morbo cœpit, periculoſa
eſt. neque enim febrim ſol-
uit, ſed doloribus torquet at-
que interficit, oritur verò
magna ex parte vel ab ilibus & lumbis, vel
à iecinore.

SEd vbi ab ilibus lumbiſq́; ortum cõtra- 2
xit, pedes tumidos reddit, fluorem diu-
turnum inducit, qui neque lumborum,
iliúmve dolorem ſoluit, neque ventrem ef-
ficit molliorem.

AT quibus à iecinore aqua inter cutẽ 3
proficiſcitur, ij tuſsi vexãtur, ſed qua
penè

penè nihil excreatur, pedes tument, deie-
ctio dura, coactaq; eſt, circa ventrem tumo
res, modò in dextra, modò in ſiniſtra parte
attolluntur, deinde deſinunt.

4 MAli etiam morbi ſignum eſt, caput &
5 pedes, manúſq; frigidas habere, vẽtre
& lateribus calentibus. Securitatem pol-
licetur corpus, quod ęqualiter molle, & cali
6 dũ eſt: Quódq; facilè cõuertitur & ſurgit.

7 GRauitas verò, quæ vel manus & pedes,
vel reliquũ quoq; corpus premit, peri-
8 culum ſignificat. Quòd ſi cũ grauitate, vn-
gues quoq; ac digiti liuore afficiantur, con
9 tinuò perniciẽ expectare oportet. At omni-
no nigri, tum digiti, tũ pedes, minus quàm
liuentes, periculũ portẽdũt, ſed tũc ad reli-
qua ſigna refugere oportet. etenim ſi æger
facilè malũ ſuſtinet, adſintq; alia quædã in-
dicia, quæ ſecuritatẽ polliceri ſolẽt, ſuppura
tionem ſperabis, atq; ſuperſtes manebit æ-
ger, ſed denigratæ corporis partes decidẽt.

10 TEſticuli pudendáq; retracta, vehemen
tes dolores, atque lethale periculum
ſignificant.

DE SOMNO.

11 QVod verò ad ſomni rationem perti-
net, quemadmodum ſani etiam ſo-
lent, interdiu vigilare, noctu verò dormire
oportet. à qua conſuetudine ſi quis aberra-
uerit,

uerit, peior erit ſomnus qui inter quartam horam & noctem, quàm qui matutino tempore ad quartum. Peſsimum tamen eſt, ſi 12
ſomnus neque noctu, neque interdiu accedit: id enim ob dolorem laborémq; accidit, vel delirium futurum ſignificat.

DE ALVI EXCREMENTIS.

ALui excrementa inter bona indicia 13
ſunt, ſi mollia, ſi figurata ſunt, ſi eodē ferè tempore quo in ſecūda valetudine deiici ſolebant, excernuntur: ſi his quæ ingeruntur proportione reſpondēt, vtpote quæ inferiorem ventrem rectè valere declarāt.

SI verò liquida fuerint, præſtat vt ſine ſtri 14
dore, neque frequenter, neq; ex breuibus interuallis deiiciantur. etenim fatigatur æger, ſi crebro ſurgit, vigiliiſq; conſumitur. quum verò affatim ſæpéque deiicit, ne animus eum deficiat, periculum eſt.

COnuenire debent excrementa, his quę 15
aſſumuntur, & bis térve interdiu, noctu verò ſemel deiici, idq; maximè matutinis temporibus pro cuiuſq; conſuetudine.

AD finem iam tēdente morbo, bonum 16
eſt ſi craſsiora reddantur. Ac rufa, 17
& odoris fœditate, ſani hominis aluum nō vehementer excedant.

LVmbricos etiam cum excremētis ſub 18
fine morbi deſcendiſſe nihil nocet.

Venter

19 VEnter in quouis morbo vacuus, corpulentúsq; esse debet.

20 PEriculosum stercus est, quod perliquidum, albicans, pallidum, vehementer rufum, aut spumans est.

21 ITem malum est, quod exiguum, glutinosum, idémq; subpallidum est.

22 OMnium maximè lethiferum est, nigrum, pingue, liuens, aut quod peioris est odoris quàm pro consuetudine.

23 VAria excrementa, quanquam diutius mortem differunt, non tamen minus sunt lethalia, huiusmodi & ramẽtosa sunt, biliosa & nigra, atque porri colorem imitantur. †

† *Aliquãdo quidem simul, aliquando per vices excreta.*

24. INter optima signa est flatus, qui neque strependo, neque pedendo emittitur, quanquam enim satius est ipsum cum strepitu exire quàm includi: tamen hoc pacto prodiens aut dolere, aut delirare ægrum significat, nisi sua sponte flatum ipsum emiserit.

25 PRæcordiorum recentes quidem dolores, gibbósque, nisi inflammatio quoque accesserit, murmur in ipsis exortum soluit, ac vnà cum stercore & vrinis, atque flatu egreditur, quod vbi non contingit, si tamen ex sede sua transfertur, bonũ signũ est, idque magis si ad inferiora descendit.

DE

DE VRINIS.

VRina illa optima eſt, in qua per totum morbi decurſum reſidet album, leue, 26
æquale: hęc nimirum ſecuritatem, breuémque morbum ſignificat. Quòd ſi aliquid horum deeſt, vt modò liquida ſit, modò albũ, leuéque in ipſa reſideat, hæc vt longiorem morbum denuntiat, ita ſecuritatem minorem pollicetur.

SVbrubra vrina, in qua ſubrubrum, leuéque reſidet, quanquàm ſuperiore morbũ 27
diuturniorem, eundem tamen ſalubriorem fore declarat.

MAla eſt vrina, quum id quod reſidet, 28
parti farinæ craſsiori ſimile eſt: peior verò, ſi lamis: ac vituperatur quoque alba, tenuiſq;, quãquam longa maius periculum illa portendit in qua quædam tanquam furfura reſident.

NEbulæ in vrina ſuſpenſæ, albę quidem 29
bonæ, nigræ verò malæ ſunt.

CAeterum quoad vrina rufa, tenuiſque 30
apparuerit, crudum morbum ſignificat. Quòd ſi diutius talis permanſerit, ne 31
priuſquam morbus quieſcat, æger viribus deſtitutus ſuccũbat, periculum eſt. Perni- 32
cioſiſsima eſt vrina, quæ mali odoris, & diluta, & tenuis, & nigra, & craſſa eſt.

33 IN viris quidem & mulieribus nigra, in pueris verò tenuis & diluta, deterrima est.

34 SI vrina tenuis & cruda, sic diu fertur, vt reliqua signa salutaria sint, plerunque infra septum transuersum abscessus oriri solet.

35 NEque leuiter terrere nos debet vrina, cui pinguedo telis araneorum similis innatat, quippe quæ hominem tabe consumi significat.

36 NVbecularum positũ, supremúmne locum, an infimum teneant, obseruare oportet. Nam quæ in ima parte constituuntur cum coloribus, quos supra proposui, bonæ sunt, atque laudantur: quæ verò sursum attolluntur, malæ, vituperandæq; sunt.

37 SEd caue ne vesica quoquo modo affecta, si huiusmodi reddiderit vrinas, te decipiat: tales enim non ad vniuersum corpus, sed ad ipsam duntaxat vesicam referri debent.

DE VOMITV.

38 PErquàm vtilis est vomitus, qui bilem pituitæ mistam habet, si neq; crassitie, neq; multitudine admodum excedat: nam syncerae pituitæ, bilísve vomitus periculosus est.

SI verò viridis, aut liuidus, aut niger est, 39
quilibet horum colorum acciderit, vitiosus est.

SI verò omnes affatim in eodẽ appareãt, 40
mortis periculum valde timendum est.

AD vltima ventum esse testatur liuidus 41
vomitus, præcipue si malus in hoc odor est. Siquidem fœtores in quouis vo- 42
mitu mali sunt.

DE SPVTO.

IN pulmonis, costarúmque doloribus, o- 43
portet vt sputum celeriter, faciléque screetur. Et cruor sputo vehementer miscea- 44
tur. Etenim si multo post doloris initiũ, 45
aut cruentum, aut rufum, aut non sine multa tussi, nec adeò commistum expuitur, vitiosum censetur.

QVippe cruentum, si syncerum quo- 46
que fuerit, periculum subesse testatur, album verò, viscidum, & rotundum inutile est.

MAli etiam morbi testimonium est 47
quod admodum viride, quódq; spumosum est.

ID verò omni alio deterius est, quod sic 48
est syncerum vt nigrum quoq; videatur. Neque tutum est sputum, quod non expurgatur, nec proiicit ipsum pulmo, sed ob niniam plenitudinem feruet in gutture.

49 IN omnibus morbis pulmonis destillatio, sternutamentúmq;, siue præfuerint, siue superuenerint, periculum ostendunt, quanquàm in cæteris morbis, vel periculosissimis, vtilitate carent.

50 SPutum cruentum cui paulum sanguinis admistũ est, in morbi principio, inflammato pulmone proiectum, securitatem atque auxilium pollicetur, quod verò ad septimum vsq; diem, longiorívе spatio tale apparet, non adeò tutum est.

51 OMne sputum, quod dolorem non mitigat, malum est. Nigrũ, vt supra demonstrauimus, pessimum est: sed longe saluberrimum est id quod dolorem placat.

DE SVPPVRATIONE.

52 DOlores in dictis sedibus, quos neq; sputi purgatio, neq; soluta aluus, neq; sanguinis missio, neque medicamentum, neq; victus ratio, sedare potuit, scire licet eos ad suppurationem tendere,

53 SVppuratio erumpẽs, sputo adhuc bilioso apparente, siue bilis seorsum, siue vnà cum pure expuatur, admodum perni-
54 ciosa est, præsertim si à die morbi septimo incœperit pus ab huiusceemodi sputo proce-
55 dere. Itaque timendum est ei qui sic expuit, ne decimaquarta die moriatur, nisi salutiferum aliquod indiciũ interea superueniat.

PORrò bonæ ſpei ſigna ſunt, ſi æger bene ſuſtinet morbũ, ſi facilè ſpirat, ſi dolor leuatus eſt, ſi ſine difficultate ſcreat, ſi corpus æqualiter molle & calidum eſt, neque ſitis infeſtet: præterea vrina, alui ſedimina, ſomni, ſudores, vt de ſingulis ſupra demonſtrauimus, probè reſpondent, quorũ ſi nullum deeſt, haudquaquam æger morietur. Contrà ſi intolerabilis eſt morbus, ſi halitus magnus & frequens eſt, neque mitigatus eſt dolor, vix ſputum redditur, ſitis vehementer cruciat, febris inæqualiter corpus afficit, ſi deniq; vẽter & latera vehemẽter calent, frõte, manibus, & pedibus frigore affectis, atq; vrina & alui excrementa, & ſomni, & ſudores, ex ſupra propoſitis notis periculum minantur. quidquid horum iam dicto ſputo ſuperuenerit, aut nono, aut vndecimo die ægrum moriturũ ſignificat, ita vt decimumquartũ nõ queat attingere. Huiuſmodi coniectura lethale ſputum cõſequi oportet, quod videlicet ad decimumquartũ diẽ ægrũ viuere nõ permittit. Ex prædictis itaq; ſigna, tum bona, tum mala perpendere, ac ſubinde futura prædicere oportet. 56

REliquæ autem vomicæ magna ex parte rumpũtur. ſed aliæ in die vigeſimo, aliæ trigeſimo, aliæ quadrageſimo, nonnullæ ad ſexageſimum vſque perueniunt. 57

58 PRoinde ſuppurationis initium obſerua re oportet, quod ab eo die putandũ eſt quo primum quis aut febricitauit, aut inhorruit, aut præ dolore grauitatem illius partis ſenſit, quam antea dolor infeſtabat. Nam talia in ſuppurationum principio accidere ſolent. ab hoc igitur tempore vſque ad iam definita ſpatia, vomicarum eruptio nes expectandæ ſunt.

59 AN verò alteram duntaxat partem vomica occupet, ex his ferè notis perpendere licet, ſi alterũ latus dolore cruciatur, & altero calidius eſt, atq; vbi in partem ſanam aliquis decubuit, interrogatus, onerari eam, veluti ex pōdere aliquo reſpondeat. quibus cognitis, in eo latere ſuppurationē eſſe coniicies, cui grauitas incumbit.

60 SVppuratos omnes hoc pacto deprehendes. Si febris non dimittit, eáq; interdiu leuior eſt, noctu increſcit, multus ſudor oritur, tuſsiēdi cupiditas eſt, ſed nihil penè excreatur, oculi cauantur, malæ rubent, vngues in manibus curuantur, digiti, maximéq; ſummi calent, pedes tument, cibi faſtidium eſt, puſtulæ toto corpore naſcuntur.

61 Atq; diuturnarum vomicarum hæ ſunt notæ quibus haud dubia fides adhibenda eſt. Sed quæ breuiori ſpatio duraturæ ſunt, ex iiſdē notis deprehēdũtur, atq; ex his quoq;

quæ in principio apparere solent, simul si spiritus maiori cum difficultate trahitur.

CEleriorem, tardiorémve eruptionẽ ita 62
coniicies, Si protinus ab initio tussis fuit, & spiritus difficultas, atq; sputi excretio, vomica intra vigesimum diem erũpet. Si verò non adeò vehemens fuerit dolor, cæteráq; illi ex proportione respondeant, serius ruptura sequetur: quo tempore & dolorem & spirandi difficultatem minui, atq; sputi screatum increscere, ante videlicet puris eruptionem, necesse est.

CAeterũ à periculo tuti sunt, quib⁹ eodẽ 63
die quo eruptio facta est, febris cõquieuit, desierúntq; vrgere cibi fastidiũ & sitis, aluus exigua quædã & figurata reddit, pus album, leue, simplici colore, & sine pituita est, atq; sine dolore leui tussicula eiicitur. Hæ sunt notę perquã salubres, q̃ celeriter liberãt hominẽ ab his, securitatẽ quoq; pollicẽtur, quæ ad ipsas proximè accedũt. At certũ periculũ est, si febris nõ quieuit, aut postqetẽ repetit. Itẽ si sitis est, si cibi fastidiũ, si venter liquidus, si pus est liuidũ aut pallidũ, si nihil nisi spumãtẽ pituitã ęger screat. Itaque seruari nõ possunt, qb⁹ omnia hæc accidũt, quib⁹ verò nõ omnia, alij quidẽ moriũtur, alij verò post longa tẽporũ interualla sani euadũt. Ex omnibus autẽ iam proposi-

tis coniecturis, reliquarum quoque affectionum ſigna conſyderare oportet.

DE ABCESSIBVS.

64 QVibus ab laborantem pulmonem abſceſſus ſecundum aures oriuntur, & in partibus infernis ſuppurantur, ac fiſtulam efficiunt, iis ſecunda valetudo contingere ſolet.

65 IN quibus huiuſcemodi notas obſeruabis, Si febris non conquieſcit, neque dolor mitigatur, ſi ſputũ non pro ratione eiicitur, ſi aluus, neque birioſa, neque liquida, neque ſyncera excernit, ſi in vrina admodum exigua, multa reſident, ac reliqua quoque ſigna omnia ſecuritatem polliceantur, eiuſmodi abſceſſus expectandi ſunt.

66 QVi aliis quidem eueniũt in partibus infernis, ſi quodam modo inflammata fuerint præcordia: aliis verò in ſuperioribus, ſi præcordia neque tumore, neque dolore infeſtantur, ſed accedit pro tempore ſpiritus difficultas, quæ deinde ſine vlla euidenti occaſione quieſcit.

67 IN vehementi periculoſaq́; peripneumonia non inutiliter in cruribus naſcuntur abſceſſus: nec poteſt aliud quicquã melius accidere, præſertim ſi mutato ſputo ſic appareant. Siue enim tumor ſiue dolor ſentitur, ſputo cruento in pus iam conuerſo ex-

cretoq;,tutiſsimum id indiciũ eſt. Nam & æger à periculo liberatur,& abſceſſus doloris expers,celerrimè conquieſcit. At ſi neq; ſputum probe excernitur,nihilq; reſidet in vrina quod bonam ſpem fulcire videatur,ne ex eo articulo claudicet æger, vel plurima certe ſuſtineat negotia,periculum eſt.

SI verò ſubſederunt abſceſſus,ſed rurſus 68
repetunt,non prodeunte ſputo,ac perſeuerante febre,grauis timor eſt,ne delirium ſubeat æger,aut moriatur.

SAnè ex ſuppurationibus,quas pulmonũ 69
morbi concitarunt, ferè ſenes moriuntur.ex cæteris iuniores.

LVmborum , inferiorúmque partium 70
dolores,quibus febris quoque accedit, ſi ad ſeptum tranſuerſum tranſeunt,relictis inferioribus, admodũ pernicioſi ſunt,animaduertenda tamen reliqua quoque indicia ſunt.ſi enim periculoſum aliquod ſignũ acceſſerit,hominem à ſpe deponit.Quum vruntur ſuppurati, ſi pus fluxerit purum, candidum,& ſine fœtore,ſeruantur.ſi verò ſubcruentum,cœnoſúmque, pereunt.Si ad ſeptum tranſuerſum , malum aſcenderit, nullo reliquorum ſignorum periculum oſtendente,futuræ ſuppurationis indubitata ſpes eſt.

EX VESICA NOTAE.

71 VEſica dura,dolens , graue periculum, lethaléq; comminatur : ídque ſi continua quoque febris acceſſerit. nam veſicæ dolores,validam necandi vim obtinẽt,quo tempore aluus etiam nihil reddit,niſi dura quædam,ac ne ea quidem,niſi cogatur.

72 AT verò vrina purulenta procedens,in qua reſidet album & leue,metum detrahit.

73 QVòd ſi ab huiuſmodi vrina dolor leuatus non eſt,neque veſica mollior effecta eſt,neque febris conquieuit, laborantem per primos morbi circuitus moriturum,denunciandum eſt.


74 ID verò pueris à ſeptimo anno ad decimumquintum præcipue accidere ſolet.

HIP

HIPPOCRATIS COI PRAESAGIORVM LIBER TERTIVS.

*

DE FEBRIBVS.


Ebres, siue sanus ab ipsis quis 1
euadat, siue pereat, æquali die
rum numero finiuntur.

VT enim saluberrimę fe 2
bres, quæ videlicet tutissimis fulciuntur notis, die quarto vel antea quiescere solent: Ita pessimæ quæque, 3
& quibus periculosissima adsunt signa, die quarto, vel citius interficiunt.

PRimus itaque earum insultus ita fini- 4
tur, alter in septimum diem producitur, tertius in vndecimum, quartus in decimumquartum, quintus in decimumseptimum, sextus in vigesimum. Igitur accessiones ipsæ ex acutissimis morbis per quatuor in viginti auctæ finiuntur. Verùm hu 5
iuscemodi suppuratio per dies integros nimirũ fieri nõ potest: quippe quũ nec annus, nec mẽses ipsi integris nnmerentur diebus.

DEinde eadem ratione, atq; additione, 6
primus circuitus ad quatuor & triginta, alter ad quadraginta, tertius ad sexaginta dies perueniet.

7 SEd huiuſmodi morbos, qui longiori ſpatio finiri debent, ab initio perquàm difficile eſt diſcernere, quòd ſimillima ſint eorum principia. Animaduertere tamen à prima die oportet, atq; ſingulos dierũ quaterniones obſeruare: ſic enim haud obſcure
8 ſcies, quò ſe cõuerſurus ſit morbus. Ac quartanæ quoq; conditio hunc ſeruat ordinem.

9 MOrbi autẽ tempore breuiſsimo finem attingentes, facilius dignoſcuntur, vt pote qui maximis protinus ab initio diſtinguũtur differẽtiis. ſiquidẽ ad ſanitatem tendentes, facilè ſpirant, non dolent, dormiunt noctu, ac reliqua quoque ſigna, maximã eis
10 ſecuritatem pollicentur. Perituri verò difficulter ſpirant, delirant, vigilant, cæteráque id genus peſsima ſigna eis accedunt.

11 VT igitur, his ſic ſe habentibus, morbos ad iudiciũ tendentes cõiectura cõſequi oportet, & ex tẽpore, & ex ſingulis additio-
12 nibus: Ita eadẽ quoq; ratione in mulieribus, morborũ iudicia, à partu numeranda ſunt.

13 CApitis in febre vehemẽtes, perpetuíq; dolores, accedẽte lethaliũ notarũ aliqua, valde ſunt pernicioſi: ſi verò nullo tali ſigno apparente, diẽ vigeſimũ dolor exceſſerit, neq; febris cõquieſcat, ex naribus ſanguinis fluorẽ, aut in partibus inferioribus abſceſſum expectabimus. Similiter dolori

etiam

etiã recenti, ſanguinis profuſio ex naribus aut ſuppuratio ſuperuenire ſolet, præcipue ſi dolor & tempora, & frontẽ infeſtauerit.

MAximè verò ſanguinis fluxio expe- 14
ctanda eſt in iuuenibus, qui quintum & trigeſimum annũ nõdum ſuperauerunt. nã maioribus natu ſuppuratio ferè oritur.

AVris dolor acutus cum febre nõ inter- 15
mittente, vehementíq;, graue periculum minatur. nam & mentẽ turbat, & hominem rapit. Quum igitur anceps ſit huius rei exitus, à primo protinus die omnibus ſignis accuratè animum adhibere oportet.

Nam ex eo caſu iuniores quidem intra 16
ſeptimum diem, ſeniores verò multò tardiùs moriuntur: quippe qui non æquè magnas febres experiũtur, neq; adeò inſaniũt. proinde ſuſtinere poſſunt, donec ſuppuretur affectus. Quòd ſi morbus in hac ætate reuertatur, magna ex parte interficere ſolet. Sed iuniores, antea quàm auris ſuppuretur, pereunt: niſi pus candidũ ab ea defluẽs, ſecuritatem polliceatur, præſertim vbi ſalutarium quoq; ſignorum aliquod apparet.

NEque leuiter terreri debemus, vbi fe- 17
bricitanti fauces exulcerantur. cui ſi aliud quoque ex magnis quæ ſupra declarauimus acceſſerit, in periculo hominem verſari, denuntiandum eſt.

DE ANGINA.

18 ANgina, periculosissima est, celeriterq; enecat, si neq; in faucibus, neq; in ceruice quicquã apparet, si dolor vehemẽs est, si vix spiritus trahitur: etenim eodẽ die iugulat, licet interdum vsq; ad secundum, aut tertium, aut etiam quartum protrahatur.

19 QVæ vero in reliquis quidem non minore dolore afficit, in faucibus vero tumorem ruborémq; excitat, superiori non minus periculosa est, sed longius spatium habebit, præcipue si vehemẽs fuerit rubor.

20 SEd tum præcipue malum prolongatur, quum nõ solùm fauces, sed ceruicẽ quoque rubor occupat. maximè verò potest ab ea secunda valetudo contingere, si rubor simul & ceruicẽ & pectus compræhendat, neque ad interna reuertatur erysipelas.

21 QVum verò deletur erysipelas, sed nõ in decretoriis diebus, neq; in exteriores partes, conuertitur tumor, neque pus screat ęger, sed leuis & à dolore immunis videtur, id aut mortem significat, aut dolorem reuersum.

22 TVtius est & tumorẽ & ruborem in externas maximè partes conuerti. si verò ad pulmonem cõuersio fiat, dementiam excitabit: quanquam nonnulli sic affecti, magna ex parte suppurantur.

Gur

GVrgulio ſi cum rubore tumeſcit, ſine 23
periculo præcidi nõ poteſt.etenim inflammatio,ſanguiníſq; profuſio ei accedit. Proinde ſatius eſt aliis quibuſdam auxiliis vti,quibus extenuari poſsit.Quũ verò pallidior efficitur,vua nominari ſolet:quòd ſi tũ ima eius pars craſſa & rotũda,ſumma verò tenuis videatur,intrepidè præcidi debet. Satius tamẽ fuerit,antea quã manus adhibeatur,aluũ vacuare,ſi tẽpus id ita pmittat, vt interim ſuffocatio hoĩem nõ prȩoccupet.

QVibus febres,neq; ſalutaribus notis 24
apparẽtibus,neq; in diebus decretoriis coquieſcunt,ij reuerſionẽ timere debẽt.

IN longa febre,ex qua tamen æger libe- 25
rari poteſt,ſi neq; ob inflammationẽ,neque ob aliã vllam manifeſtã cauſam,dolor infeſtat,aut tumidũ aut doloroſum in articulis abſceſſum expectare oportet,prȩcipue in imis partibus. Maximè verò in his æta- 26
tibus,quæ triginta annos non exceſſeruut, eiuſmodi abſceſſus naſci conſueuerunt,ídque in tempore breuiori.

NOn tamen expectandus eſt abſceſſus, 27
donec vigeſimam diem febris prætererit. Is natu maioribus rarò accidit,quã- 28
uis longo ſpatio duret febris.

SOlet etiam continuis febribus abſceſſus 29
ſuperuenire.Interpellata verò febris,eadém

démque errabunda, in quartanam mutabitur, præcipuè ſi autumnus proximus eſt.

30 ATque vt abſceſſus oriuntur in his qui triginta annis minores ſunt, ita quartana eos qui trigeſimum annũ aut agunt, aut exceſſerunt, præcipue corripit.

31 IGitur ſcire licet, abſceſſus hyeme magis accidere, ſerius finiri, ſed non facilè reuerti.

DE VOMITIONE SPONTANEA.

32 SI cuipiam in non lethali febre caput dolet, aut ante oculos obſcura quædã obuerſantur, aut † cordis dolor accidit, is bilẽ euomet. Si verò horruerit, & inferiores præcordiorum partes frigore afficiantur, citius ad vomitionem properabit. quòd ſi eo tempore quidpiam aut biberit, aut ederit, id quoque quàm celerrimè euomet.

† Galenus dicit, ſummi vẽtriculi morſum.

33 QVibus itaq; à primo protinus die dolor ſuperuenerit, iis quarto & quinto die ingraueſcit, mox in ſeptimo liberãtur. Sunt non pauci qui in tertio die dolere incipiunt, quinto maximè moleſtantur, deinde nono vel vndecimo tuti euadunt. Sed quos dolor quinto die vexare cœperit, reli-
34 qua ex proportione reſpõdeant, iis decimo quarto die † finitur morbus. Hæc tum viris, tum mulieribus, ſed in tertianus maximè cõtingere ſolent. Iunioribus verò cum in iis

† κρίνεται, id eſt indicatur.

in iis ipsis, tum præcipue in continuis, febribus, atque tertianis synceris.

ITaq; quibus in huiuscemodi febre caput 35
dolet, oculi verò obscuras illas imagines non vident, sed caligatione hebetantur, aut splendentia quędā cernere se putant, ac præcordis dolore, in alterutra parte præcordia tenduntur, ac neq; dolor infestat, neque inflāmatio, iis pro vomitu sanguis è naribus profluet, ídque præcipuè iunioribus accidit. si verò trigesimum annum vel agunt, vel superauerunt, vomitum potius quàm sanguinis fluorem expectabimus.

DE CONVVLSIONE.

SI pueris in acuta febre aluus nihil deiicit, 36
neq; somnus accedit, sed terrentur, flent, color mutatur, vt modò pallidus, modò liuidus, aut ruber efficiatur, neruorū distētio timeri debet, vtpote quæ pueros qui septimum annum nondum excesserunt, quàm promptißimè inuadit. Grandiusculos verò pueros, atque adultos, non adeò in febribus neruorū distentio præhendit, nisi vehementis admodū malitiæ signum aliquod affuerit, qualia videlicet in phreneticis videntur.

ERgo ex omnibus signis, vt de singulis 37
morbis singula præscripta sunt, & morituros, & eos qui ad bonam valetudinem redire poterunt, siue pueri sint, siue natu

maior

maiores,ſic coniicere oportet.

38 ATque hæc de acutis morbis,atq; de his
qui ab eis naſcuntur,dixiſſe velim.

39 CAeterũ ſi rectè diſcernere volueris,&
morituros,& eos qui à periculo tuti
ſunt,& quis morbus longo,& quis breuiori
ſpatio finietur,diſce omnium ſignorũ inter
ſe collatorum vires,vt ſupra demonſtraui-
mus,accuratè iudicare,tum aliorũ,tũ præci-
pue vrinæ,ac ſputi,quũ ſcilicet ſimul & pus
40 & bilem æger ſcreat. Itẽ ſuperuenientium
quoq; morborum impetum,ac tẽporũ anni
conditionem accuratè obſeruare oportet.

41 POſtremò quod ad cõiecturas,reliquáq;
ſigna pertinet, haudquaquã vel igno-
randũ,vel negligendũ eſt,quòd quouis an-
no,& quouis anni tẽpore,mala ſigna timo-
42 rẽ,vtilia verò bonã ſpem denuntiant. Et-
enim in Libya,& Delo,atq; Scythia,propo
ſita iam ſigna,vera eſſe comprobauimus.

43 VNde ſcire licet,in iiſdem terris multo
plura quàm ſupra propoſuimus,illum
facilè aſſequi poſſe,qui ea recte & iudicare
& perpendere didicerit.

44 SEd nullius morbi hic non deſcripti no-
men deſiderandum eſt:nam omnes qui
in dictis temporum ſpatiis morbi † finiun-
tur,iiſdem quoque indiciis diſcernuntur.

† κρίνεται, id eſt iudicantur.

FINIS.